



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

3. Effectus restitutionis in integrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

causa, vel etiam ob aliam, l. 1. § 2. C. Ex quibus causis majores &c. l. Nee non D. eod. tit. ut iulii et rotis, l. 2. D. eod. vel iustæ ignorantia; de quibus latè Sfort. Oddus 1. p. q. 8 per tot. juxta illam Prætoris generalem clausulam, Si qua alia iusta causa mihi videbitur, in integrum restituum, l. 1. D. Ex quibus causis majores, &c. Ad quam clausulam toties recurrendum erit, quoties æquitas suggeret, l. Sed et si § fin. D. d. t.

Sed & majoribus competit de gestis in minore ætate, intra quadriennium ab ingressu ætatis majoris, l. ult. C. De temporib. in integrum restitut.

§ II.

Intra quod tempus, & coram quo peti restitutio debeat.

1. Peti debet intra quadriennium continuum à tempore lationis, c. 1. § 2. eod. in 6.
2. Coram iudice rei.
3. Adversus sententiam inferioris vel qui æqualis sit jurisdictionis.

Peti & peragi restitutio in integrum debet intra quadriennium continuum à tempore seu dictionis, c. 1. § 2. eod. in 6. Idque cognita causa, ob quam petitur, & præsentè adversario, ut causas restitutionis allegari ab impetrante audiat, d. c. Ex litteris l. 3. D. eod. quia quod quem tangit, peragi non potest, nisi is ejus sit certior factus, c. Quod omnes De R. l. n. 6. aut per contumaciam ab sit, l. In causa 13. in princ. versie. causa D. De minorib. Si tamen aut prævaricationis aut fraudis manifestè probetur intervenisse commentum, aut alia iusta causa subsit, poterit Juxta tempus hoc quadriennii in danda restitutione excedere, d. c. 1. § 2. eod. in 6. Proponitur autem hæc petitio, non jure actionis sed implorato iudicis officio, l. Quod si minor 24. §. ult. D. eod. & est communis.

2. Peti verò restitutio debet coram Iudice rei contra quem petitur, d. l. In causa 13. §. fin. cum l. seq. c. Causa h. t. quia actor sequi debet forum rei. Oportet tamen hunc Iudicem habere administrationem jurisdictioni suæ conjunctam; vel esse delegatum ab eo ad universitatem causarum, qualis est Officialis Episcopi vel specialiter ad hoc iudicium exercendum: nam Ordinarius, qui administrationem non habet, sed tantum judicandi facultatem, & delegatus ab eo, de

causa restitutionis cognoscere non potest, ut nec arbitrer compromissarius; nisi coram eis mota incidenter fuerit causa V. G. Si Juxta sententia sua interlocutoria alterum læserit, restituere potest adversus hanc suam sententiam d. c. Causa h. t. l. fin. Cod. ubi & apud quem & c. l. Quæstio c. De iudicio Sfort. 1. p. q. 31. art. 6. & seq. At verò delegatus à summo Pont. etiam ad unam aliquam causam, quia multò pinguius jus habet, quam delegatus ab Ordinario, ut dictum est sup. De officio & potest. iud. deleg. restituere indistinctè potest.

3. Minor magistratus adversus sententiam majoris non restituit, l. Minor 18. in princ. D. de minorib. Adversus sententiam definitivam ipsius Principis, vel Procuratoris, vel Vicarii, aut delegati illius, solus restituit Princeps, d. l. Minor, l. 3. C. Si adversus rem judicatam &c. Sfort. 1. p. q. 51. art. 3. n. 33.

Potè Juxta in concedenda restitutione in integrum adversus contractum, n. eto jure validum, prospicere debet, ne is, adversus quem restitutionem concedit, fraudetur pretio vel sumptibus seu melioramentis necessariis & utilibus, quæ fecit, c. 1. h. t.

§ III.

Effectus restitutionis in integrum.

1. Pendente restitutione nihil innovandum.
2. Ea obtenta redintegratur pristinum jus.
3. Transit eadem in heredem, non in successorum.

Effectus restitutionis in integrum pro subiecta materia varius est. In primis pendente restitutionis iudicio regulariter nihil est innovandum ab una vel altera parte, sed omnia in statu suo manere debent, donec res finita sit, l. unica Cod. restitut. in integr. postulata ne quidem novi fiat: nisi contra eum, qui petit restitui in integrum militèr vehementer præsumptio malitiæ, quod scilicet causa differendi & protrahendi executionem sententiæ hoc perat; quia hoc casu sit executio, præstita idonea cautione de restituendo, quod medio tempore, occasione sententiæ, percipiet adversarius, si petens restitutionem prævaluerit, c. Suscitata h. t.

2. Obrepta verò restitutionis effectus est, quod, data restitutione adversus sententiam, et integro agi debeat, adversus contractum vero vel alium actum, res retrahatur, & in pristinum statum reponatur.

3. Præterea is effectus est restitutionis, quod, licet remedium sit extraordinarium personale, l. 3. §. *sed utrum* 4. D. De minorib. tamen, quia est in rem, & juri familiæ inhæret, d. l. *In causa* 13. §. *interdum*, ideo ad hæredem & ad universalem successorem transeat l. 2. §. 4. c. De temporibus in integrum restit. accedi possit, l. *Quod si minor* 24. in prin. D. eod. non tamen transit in fidejussorem vel socium d. l. *In causa*, l. 1. §. 2. C. De fidejussor. minor. quia iniquum & injurium foret subvenire fidejussori in necem creditoris, qui in securitatem obligationis fidejussorem recepit, d. l. *In causa*. Secundò, quia fidejussor habet recursum adversus minorem, ut indemnitas maneat: ideoque eum ordinarium habeat remedium, non debet ei concedi extraordinarium. Denique, quia minor restituatur, eò quod fragile & infirmum sit ejus iudicium: enjusalmodi non est fidejussoris, qui cum sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec tam facile spondere, cum, ut dici solet, *Sponde præsto noxa est*.

TITULUS XLII.

De alienatione iudicii mutandi causa facta.

1. 2. Ratio hujus restitutionis: ad quid detur & adversus quem.

3. Quid nomine alienationis intelligatur.

4. Datur illis, quorum interest.

1. Contingit nonnunquam, ut adversarius dum iatelligit litem adversus se parari, malignè rem, de qua futura est controversia alienet, ut hoc modo eludat intentionem agentis, ei duriorem ac molestiorem adversarium in suum locum obtinendo. Quare merito providendum fuit de remedio aliquo illis, in quorum præjudicium rei in iudicium deductæ sit alienatio, iudicii mutandi causa, præsertim cum ex ejusmodi alienatione comperat quædam species restitutionis in integrum, de qua proximè actum est, quæ jure actionis Prætoris in factum intra annum utilem obtinetur, adversus eum, qui sic rem alienavit, ad id, quanti nostra interest, alium ad-

versarium non habere, aut potius (in quo præcipua vis hujus restitutionis consistit) ut patiatur secum pristina actione utiliter agi, perinde ac si non alienasset, sed adhuc possideret.

2. Dixi, adversus eum, qui sic alienavit; id est mutandi iudicii causa & fraudulenter seu dolo nam utrumque ad hanc actionem restitutoriam requiritur, l. 4. D. eod. Atque ideo, si quis sine dolo possidere deherit, veluti, si rem ipsam, quæ petitur, obligatus Titio solverit, aut venditori reddiderit, vel alienaverit, ut litis molestias subrefugeret, adversus eum non dabitur hæc actio Welsenb. in *Parat. D. h. t.* Sicut nec adversus eum, qui dolo quidem possidere deherit non tamen iudicii mutandi causa.

3. Nomine alienationis intelligitur hic omnis actus, per quem dominium in alium transfertur, l. 1. Cod. De fundo dotali: sive sit conventio, ut venditio, permutatio, donatio; sive permissio ut dum quis permittit rem suam usucapi, l. *Alienationis* D. De verb. significat. sive non usus, ut dum quis non utendo servitute, illam amittit, d. l. *Alienationis*.

4. Addidi, ad id, quod nostra interest, quia ei, cujus nihil interest, non competit hæc actio restitutoria, ut patet ex l. 3. §. *penult.* & ult. D. eod. Si quis igitur rei alienæ detentor, metuens ne iudicio conveniatur, quia intelligit forte rescriptum adversus se à summo Pontifice impetratum esse, transferat eam rem in alium, eo animo, ut frustretur adversarium, & rescriptum eludat, quod ultra expressa non extenditur, nec adversus alium, quam qui in rescripto nominatim continetur, vim habet, ut dictum est ad Tit. De rescriptis: tamen impetrans eodem rescripto uti poterit etiam adversus eum, in quem res est translata, licet in rescripto non sit nominatus, c. 1. h. t. Similiter si Clericus actionem vel æs alienū alicujus laici in se transferri curaverit, eo animo, ut adversarium suum, cogat causam suam agere vel defendere coram Iudice Ecclesiastico, datur adversus Clericum hæc exceptio, quod cessio illa actionis, vel æris alieni, sit facta mutandi iudicii causa, cap. 2. h. t. quia non debet alteri per alterius factum & dolum præjudicari vel iniqua conditio adferri, l. 1.

D. eod. l. *Non debet* 74. D. De reg. iuris cap. *Mutatio* 3. De R. l.

in 6.

TITU.